

promovet ad actus liberos determinate. — 3^o Quia sic loquitur expresse S. Thomas in III *Contra gentes*, cap. 89: « Quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus causare possit absque præiudicio libertatis,... dixerunt quod Deus causat in nobis velle ei perficere in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle hoc vel illud... Quibus autoritatibus S. Scripturæ resistitur evidenter. » Ibid.: « Superius (cap. 67 et 70) ostensum est, quod Deus est causa omnis actionis et operetur in omni agente. Est igitur causa motuum voluntatis. » — 4^o Quia tum articulus iste, tum objectio, tum responsio supponunt evidenter S. Thomam non docere concursum simultaneum (quis enim unquam sic argumentatus est adversus illum)? sed physicam præmotionem, quæ requiritur ad quemcumque transitum de potentia ad actum. Nam 1^a 2^a, q. 109, a. 1, o, dicit: « Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. » Ibid., a. 9, o: « Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. » — Illationis igitur molinianæ pravitas manifeste apparet.

Idem vero sic thomistice exponitur. — Docet S. Thomas quod possibilitas actu peccandi habetur in voluntate mota, per hoc quod non Deus solus movet, sed ipsa etiam voluntas movet se. Unde non taliter excludit quod Deus moveat ad hoc vel ad illud, sed tantum quod Deus moveat solus in ordine ad actum peccati. Deus igitur movet ad hoc vel ad illud, sed non solus. En vera e proposito textu illatio. — Secundum S. Thomæ doctrinam, ut creata voluntas possit actu peccare, necessarii sunt in illa plures actus successivi¹. Impossibile est enim quod primus omnium actuum voluntatis, cum sit a solo Deo, sit malus, etsi possit esse liber et meritorius². Et inde est quod in serie actuum, quorum ultimus est peccaminosus,

1. III *Contra gentes*, cap. 10 et 109; 1^a p., q. 63, a. 5 et 6. —
2. 1^a p., q. 63, a. 5, ad 3; q. 95, a. 1, o; 3^a p., q. 34, a. 1, 2 et 3, o.

ut docet S. Thomas in hac responsione, Deus movet primo, sicut universalis motor, ad universale bonum: quæ tamen motio est ad determinatum actum, ut patet ex art. 4 ejusd. quæst. Qui primus actus non est malus. Sed voluntas mota incipit sese movere per deliberationem rationis, ut ibid. dicitur; nam Deus eam movet secundum naturam ejus. Unde fit possibile ut voluntas sese determinet ad apprensibile bonum. Quando autem vult Deus aliquos movere specialiter ad bonum, non sinit eos ad malum declinare. En sensus vere thomisticus. (Cfr. 1^a 2^a, q. 111, a. 2.)

Hinc vides quod hic S. Thomas transeunter quamdam particularem quætionem movet. Unde non est æquum ut nunc solum quid de divina motione senserit quæramus. Regula critices est, ut cujuscumque magistri doctrina super quacumque re ex illis semper desumatur locis in quibus ex professo ipse quætionem instituit; locutiones autem in cæteris scriptis quæ ad idem referuntur disseminatæ exponantur secundum doctrinam ex instituto traditam. Sic agunt thomistæ; contra vero Moliniani, relicti vel dissimulati tractatibus specialibus, ad verba transeunter prolata appellare solent, et auctori sententias non suas sic adjudicare posse videntur.

II. — De scientia media.

1^o Equidem non pauci, ut scientiam mediam in Deo demonstrarent, nunquam exhausta eruditione, e Scriptura, conciliis, Patribus, ratione, aliisque, si quæ sint, locis, innumeros congerunt textus, quibus evidentissime probant Deum certitudine omnimoda futura conditionata libera, seu futuribilia, cognoscere. In vanum autem laborant isti, extra campum cursitantes. Unica enim quæstio est, scilicet: utrum Deus futuribilia cognoscat ante omnem voluntatis decretum, id est, in hoc rationis signo quo Deus consideratur veluti si nihil adhuc libere voluisset.

2^o Cui quæsitio ut satisfaciant Molinistæ, videntur nunc convenire in proponendo medio veritatis determinatæ

unius e contradictoriis enuntiationibus. Ut autem medium hoc ineptissimum esse demonstratur, sat est observare quæstionem nostram non esse de propositionibus in materia necessaria, quarum prædicatum est de essentia subjecti, v. g. : homo est animal; sed de propositionibus in materia contingenti, quarum prædicatum accidit subjecto, v. g. : Petrus peccabit. Unde, cum verum sequatur ad ens, antequam una e propositionibus in materia contingenti sit vera, necesse est ut res significata habeat esse. Res autem significata non est nisi conditionata futuritio alicujus actus liberi. Oportet igitur ante omnia assignare ubi futuritio hæc esse habeat in signo rationis ante omne divinum velle. Non in conditione quidem, cum non sit ei connexa; nec in causa libera seu voluntate, cum voluntas sit essentialiter indifferens inter agere et non agere, nihilque extrinsecum possit eam infallibiliter determinare. Ubinam ergo? Nullibi sane. Quapropter rationabiliter thomistæ dicunt hujusmodi scientiam mediam in Deo non esse; sed ad omnem futuritionem actus, quæ consistit in determinatione causæ ad agendum, proindeque ad ejus cognitionem, præsupponi necessario divinum velle, quod est primum movens et prima omnium causa. Audiamus Angelicum dicentem, 1^a p., q. 16, ad 3 : « Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret... Unde, sublata causa, non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur quod ea quæ sunt semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura; quæ quidem causa solus Deus est. » Futura autem non sunt in Deo, nisi per hoc quod Deus vult aliqua esse futura, ut manifestum est ex hoc quod, ut dicit Doctor noster, 1^a p., q. 14, a. 8, o, « necesse est quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. » — Exemplo sint duæ contradictoriæ in materia contingenti : mundus erit, mundus non erit. Evidens est nullam ex his esse determinate veram de necessitate, antequam Deus mundum futurum esse decreverit; sequeretur enim mundum creatum fuisse necessario, et sic divina potentia cuidam fato subjiceretur.

Est igitur apertissime falsum quod ex duabus contradictoriis una semper sit determinate vera de necessitate; sed veritas determinatur a causa prima quæ dat esse rei. Optime ergo S. Thomas I *Contra gentes*, cap. 68 : « Remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus, seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit. » In I *Periherm.*, lect. 13 : « Falsum est igitur quod omne quod est verum fuerit determinate dicere esse futurum...; nam hoc modo est aliquid verum, quo habet esse... Aliquid est in sua causa pure in potentia, quæ non magis sit determinata ad unum quam ad aliud : unde relinquitur quod nullo modo potest de aliquo eorum determinate dici quod sit futurum, neque quod sit vel non sit. » Quapropter confitetur molinianus author operis *Bannez et Molina*, « nullam e propositis speculationibus facere satis quæsito¹. »

3^o Ut autem mens S. Thomæ clarissime appareat, legantur quæstiones de Dei scientia et veritate in I *Contra gentes*, cap. 49, et a cap. 64 ad 71, maxime 68, et in 1^a p., q. 14, præcipue art. 5 et ab art. 8 ad 14. Ex his evidens erit quod tota thomistarum doctrina his continetur terminis : « Dei scientia est causa rerum, voluntate adjuncta. » Sequitur enim de necessitate e thomistico principio : « Omne quod movetur, ab alio movetur; » ex quo fit consequens quod cujuscumque actionis futuritio prius ac principaliter inveniatur in divina voluntate, quæ est principium efficacissimum omnis motionis. — Quando autem S. Thomas assignat rationem divinæ cognitionis futurorum in eorum præsentialitate in æternitate Dei, apparet rem consideranti eum loqui de scientia visionis absolutisque futuris, illamque mirandam rerum præsentialitatem præsupponere determinationem divini velle. Unde qua ratione loca hæc, v. g., 1^a p., q. 14, a. 13, thomistis objiciantur, minime video.

1. Pag. 113.

III. — *De gratuita prædestinatione.*

1° Super gratuita ad gloriam electione thomistis consentiunt Congruistæ et Augustiniani adversus puros Molinianos. Unde quidquid thomistis exprobrant Molinistæ, Bellarminum, et Suaresium, et Congruistas omnes, et Augustini discipulos quoscumque similiter tangit¹. Ex quo etiam consensu apparet quod scientia media nihil prodest in hac solvenda quæstione, cum eam scientiam Congruistæ approbent.

2° In hac quidem re, causam adultorum ab infantium causa separant Moliniani. Non enim potest rationabiliter affirmari infantes qui sine baptismo quocumque casu moriuntur, propter hoc reprobatos fuisse, quod Deus illos, in annis posterioribus, si ad activam servarentur vitam, futuros esse malos, scientia divina præviderit (quod utique Semi-Pelagiani posuerunt, ut habetur in epist. Prosperi ad Augustinum, reprobavitque Hipponensis); neque propter hoc quod Deus demerita eorum præciverit, cum nihil omnino revera demereri potuerint, qui sine rationis usu brevissimam duxerint vitam. Necesse est igitur dicere reprobari infantes absque propriis demeritis prævisis. Alia est ergo infantium causa et alia causa adultorum. Ex quo manifestissime patet Molinianos toto cælo ab Augustino differre, qui ex infantibus amplissimum ac validissimum sumebat argumentum ad adultorum causam². Dicunt igitur Moliniani, « Deum velle omnium infantium salutem per baptismum, sub conditione, si nempe liberæ hominum voluntates et naturalis ordo physicus non obsistant. » Unde apparet quod conditio voluntatis antecedentis salutis infantium totaliter pendet a libera Dei voluntate. Ordo enim universi, sive naturalium, sive liberarum causarum, libero Dei decreto constituitur. Quod igitur Moliniani in thomis-

1. Cfr. epist. Prosperi et Hilarii ad Augustinum de querelis Galorum, num. 225 et 236 inter epist. Aug. — 2. Cfr. libros *de Prædestin. sancti*, et *de Dono perseverant.*, quos proxime in cælum migraturus scripsit Augustinus adversus Semi-Pelagianos.

tas argumentantur, videlicet « ridiculum esse velle Deum salutem alicujus sub conditione quæ ab ipso Deo pendeat, » ipsi prius in causa infantium solvant, atque frivolum esse ostendant necesse est. Thomisticam ergo voluntatis antecedentis expositionem non implicare ipsi Moliniani demonstrare coguntur.

3° Sed nec in adultorum causa rationabiliter differre possunt Moliniani ab Augustini Thomæque discipulis, nisi sibi contradicere velint. Etenim, cum Congruistæ ponant voluntatem antecedentem sic explicandam esse, ut intelligatur Deum velle omnium salutem, si gratiæ consenserint in eaque perseveraverint, simulque teneant Deum quosdam negative reprobare absque prævisis demeritis, urgent eos Moliniani quod contradictoria asserant; pugnant enim inter se, velle Deum aliquem salvare, si consentiat, eodemque rationis signo, hoc est ante disensus vel demeriti prævisionem, eundem infallibiliter reprobare. Hoc, meo sensu, optime dicitur a Molinianis. Verum puto eos eadem pati oportere. Nam ea meritorum demeritorumve præscientia, ad quam, secundum Molinistas, sequitur vel ad gloriam electio, vel positiva reprobatio, minime antecedit inserutabile illud Dei iudicium seu decretum, quo reprobi ab electis absolute, infallibiliter et efficacissime separantur. Etenim Deus scientia media, quæ necessaria est proindeque ratione prior omni decreto, solummodo cognoscit ea merita vel demerita quæ sunt conditionate futura, hoc est quæ absolute essent, si homines in his vel in illis crearentur circumstantiis. Non autem propter hujusmodi merita conditionate tantum futura eliguntur vel reprobantur homines, ut manifestum est; sed eliguntur revera aut reprobantur propter merita vel demerita absolute futura. Porro merita conditionate futura non evadunt absolute futura, nisi per positionem conditionis, nempe per constitutionem hominis in his circumstantiis in quibus præscit Deus eum gratiæ consensurum ac perseveraturum. In his autem circumstantiis non constituitur homo ab æterno, nisi per absolutum, infallibile, efficacissimum et liberrimum Dei decretum.

Igitur præscientia meritorum propter quæ glorificatur aliquis, sequitur ad liberrimum et gratuitissimum decretum quo Deus eum perseverare ab æterno disponit. Similiter de præscientia demeritorum. Porro hujusmodi decretis infallibiliter et absolute fit discretio eligendorum ac reprobatorum. Sic igitur ratio res in Deo ordinat, ut intelligatur 1^o scientia media conditionate futurorum, 2^o separatio libera voluntate facta reprobatorum ab electis, 3^o visio absolute futurorum meritorum ac demeritorum.

Equidem contendunt Moliniani reprobos ab electis scientia media, non divina voluntate separari. Ponunt enim sic: 1^o decretum absolutum et totaliter gratuitum, quo Deus ad gratiam prædestinat omnes, 2^o prævisionem consensus et perseverantiæ aliquorum, cæterorum vero dissensus et impiæ mortis, 3^o demum priorum electionem ad gloriam, aliorum autem reprobationem. At nemo non videt quod, antequam intelligatur Deus prædestinare ad gratiam, id est absolute constituere homines in quibusdam circumstantiis (quod est actus liber in Deo), præintelligitur cognoscere scientia media (quæ est cognitio necessaria), quid de unoquoque sit eventurum: unde decreto hoc libero ac gratuito Deus scienter et infallibiliter hos constituit perseveraturos et salvandos, illos contra dissensuros et damnandos. Non igitur Dei præscientia, sed gratuita et absoluta voluntas separationem facit reprobatorum et eligendorum. Etsi verum sit quod secundum Molinistas omnes sola Dei præscientia faciat gratiæ efficaciam.

Quo posito, sic argumentor. Contradictorium est quod in eodem rationis signo, scilicet ante meritorum vel demeritorum absolute futurorum præscientiam, Deus simul intelligatur velle aliquem salvare, eundemque reprobare, quod est non salvare. Atqui sic oportet intelligere, secundum Molinistas; dicunt enim Deum velle salutem alicujus, si consentiat iste, ponuntque Deum velle eundem absolute non salvare, ante dissensus prævisionem. Ergo.

Præterea, cum prævisio meritorum vel demeritorum absolute futurorum, ad quæ sequitur electio vel reprobatio,

dependeat a libera Dei voluntate, ut ostensum est, sequitur enim prævisio hæc ad aliquod liberum et gratuitum Dei decretum, videtur quod et in adultorum causa voluntas antecedens sit cum conditione quæ pendet a libera voluntate Dei. Solvant ergo Moliniani prius quod obijciunt thomistis.

Optime igitur molinianus author operis *Bannez et Molina*¹: « Ne quæras cur Deus hunc potius quam illum circumstantiarum ordinem elegerit, neque cur hoc absoluto efficacique decreto Petrum prædestinaverit, Judam vero reprobaverit; nihil sane habeo, nisi apostolicum illud: *O altitudo!* »

4^o Qua ergo ratione nolint Moliniani Deum prius et absque prævisis meritis ad gloriam eligere, nequidem suspicor. At vero unus: « Qui ordinatissime vult finem alteri formaliter ut præmium pro meritis, non vult ei hunc finem intentione absoluta, nisi præsuppositis meritis. Atqui. Ergo. » — *Resp. Dist.* Qui vult finem ut præmium pro meritis independenter ab ipso acquirendis, *conc.*; pro meritis ab ipsomet infallibiliter dandis, *nego.* Manifestum est autem quod Deus liberrime dat merita. Ergo potest velle absolute præmiare absque præscientia meritorum, non autem potest velle præmiare, quin simul velit dare merita.

Qui docent gratuitam prædestinationem ad gloriam, innituntur hoc principio: Voluntas mediæ præsupponit voluntatem finis. — Rotunde respondet Molinianus author operis supradicti², principium hoc non verificari in divina sapientia et veritate. Quod ut ostendat, invocat quæstionem positam 1^a p., q. 19, a. 5, scilicet: « Utrum voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam? » ad quam Angelicus negative respondet, propterea quod « Deus sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. » At quæstiones confundit Molinianus iste. Agitur enim hic de causa divinæ

1. Pag. 153. — 2. Pag. 328 et alibi.

voluntatis *ex parte actus volendi*; nostra autem causa est de divinæ voluntatis causa *ex parte volitorum*. Hanc distinctionem ponit Doctor noster 1^a p., q. 23, a. 5, o : « Dictum est supra, q. 19, a. 5, quod non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam prædestinationis ex parte actus prædestinantis; sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. » Nullo modo igitur hæc Moliniano suffragantur. Interea advertite quod, etiamsi dubium esset utrum Deus, determinate volens aliquorum salutem, gloriam eis assignaverit secundum rationem meritorum, an potius merita definiverit secundum gloriam præparatam, extra controversiam tamen remaneret, in doctrina D. Thomæ, quod ad salutem (quæ in sui ratione et merita et gloriam importat) Deus aliquos præ aliis, ante quorumcumque meritorum prævisionem, elegerit. Quærit enim ibid., a. 4 : « Utrum prædestinati eligantur a Deo ? » Respondet autem : « Non præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem : ad quod pertinet electio..., in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobat, ut dictum est. » Ergo, secundum D. Thomam, in prædestinatione prius occurrit, secundum rationem, voluntas aliquos præ aliis glorificandi. Thomas autem Augustinum sequitur, Augustinus vero Paulum.

IV. — De physica præmotione.

In hac quidem materia exsurgunt peculiare circa thomisticam doctrinam difficultates, eæque gravissimæ, videlicet de concordia libertatis humanæ et divinæ motionis, de motione ad actum peccati, deque gratia sufficienti. Solent Molinistæ has implicationes in primis ante oculos

ponere, eaque methodo in thomismum commovere animos, ne principiorum thomisticæ doctrinæ claritas et vis ineluctabilis percipi valeant. Hæc vero methodus rationi adversatur. Nam humanæ menti naturale est, cum a sensibilibus ad intelligibilia procedat, atque componendo et dividendo et longius ratiocinando, non autem intuitive contemplando, ad altas perveniat veritates, varie impedi ac multas dubietates pati in intelligibilium, maxime superiorum, cognitione. Unde principia cilia sunt atque certa, ut simplicia, proinde evidenter apparent; conclusiones vero multo minus expeditæ sunt ac sæpe incertæ, utpote compositæ, ad quarum ostensionem multa concurrunt principia, quorum concordiam in eodem puncto perspicere, quandoque operosum est, non semel vero impossibile. Cui obscura non sunt illa problemata de Dei libertate et immutabilitate, de futurorum in æternitate præsentia, de unione corporis et animæ, de modo humanæ cognitionis, de materiæ natura, quantitate, etc.? Quis tamen e catholicis philosophis propter conclusionum difficultates principia neget? nam ex acatholicis propter hæc multos in hanc illamve scepticismi speciem abire, certissimum est. Naturalis igitur processus humanæ rationis ad acquirendam scientiam est, ut, positis pensatisque principiis, gradatim ad altiora difficilioraque ascendat, obscuritatibus rationabiliter contemptis, solis utique rejectis contradictionibus. Porro hæc habet Molinianus author operis *Bannez et Molina*¹: « Doctrina quidem thomistica e principio tam Augusto quam solido oritur, videlicet e notione jureque causæ primæ. Miro etiam ordine, rigidaque logica, consequentias deducit omnes : omnia concatenata, simplicia, clara, facilia videntur. Hæc autem sunt communiter veri signa. Verumtamen in termino doctrina ista tum sanctitatem bonitatemque divinam, tum humanam libertatem meritorumque et demeritorumque imputabilitatem offendit, imo fidei catholicæ decreto contrariari videtur. Neque e difficultatibus istis nisi per longas, obs-

2. Pag. 109.

curas, intricatissimasque explicationes exit. » Rationabiliter ergo procedit thomismus.

In difficultatibus autem thomisticis enucleandis, prius pensanda sunt principia, eaque recte sequenda, solis absurditatibus devitatis. Quæ principia breviter enuntiamus: Impossibile est idem esse simul et non esse. — Impossibile est idem esse simul in potentia et in actu. — Unumquodque agit secundum quod est in actu, agitur autem secundum quod est in potentia. — Nihil transit de potentia in actum, nisi per aliquod ens in actu. — Omne quod movetur, ab alio movetur. — Nihil operatur, nisi in virtute Dei primi moventis et primæ causæ. — Hinc necessitas, ratio, natura divinæ motionis; hinc præmotio physica.

Exinde fit evidens quod præmotio illa offendere non potest humanam libertatem. Nam naturalis est motio divina voluntati, quæ non aliud in ea facit quam adducere voluntatis potentiam in actum, utique secundum modum hujus potentiæ, scilicet active atque libere. Hæc est demonstratio facti, ut ita dicam, concordiæ divinæ motionis cum humana libertate. Obscurus remanet modus, fateor; imo comprehendi nec explicari eum posse facile concedo. Quid inde? negandum esse factum, et principia tam « augusta quam solida » abneganda? Minime, sed humanæ rationis imbecillitas agnoscenda. Quis miretur comprehendi non posse, et obscurissimum ac inexplicabilem nobis esse modum quo infinitum ens finitum creat, et conservat in esse, et operatur in eo? Nonne rationi consentaneum est, ut ita res se habeat? Ego vero qui tot entia finita comprehendere non possum, influentiam hanc infiniti si comprehenderem, limites intellectus creati transcenderem. Teneamus ergo factum, in quo nihil absurdi deprehenditur, rigidaque logica demonstratur. Omnia siquidem argumenta distinctione sensus compositi et sensus divisi radicibus solvuntur.

Si diligenter cæteræ difficultates considerentur, ex hac obscuritate quæ libertati offunditur unice emergunt. Non enim fit nobis obscurus modus quo gratia efficax in suf-

ficienti continetur et habetur, vel modus quo voluntas a Deo mota peccat, nisi quia non apparet nobis quomodo in voluntatis motæ potentia sit ut determinet se ad verum aut ad apparens bonum. Quod tamen in voluntatis potentia esse, imo hoc in ea per divinam motionem fieri ut sit, certissimum est rationem præmotionis consideranti. Non igitur divina præmotio est offensiva divinæ bonitatis. Multum quidem obscura hæc materia est, nihil vero absurdi in ea oculatissimus quisque perspiciet. Nec mirum, ut arbitror, quod thomistæ varia vel etiam opposita quandoque in istis difficultatibus solvendis proposuerint. Delectat utique me magis D. Thomæ sobrietas. Factum quidem affirmat atque probat; modum autem in his, sicut et in aliis nonnullis quæstionibus relinquit, argumentorum in oppositum solutione contentus.

Hæc sunt quibus recentiorum Molinistarum aggressiones repellere opportunum visum est. Nihil sane novum protulimus, sed nihil etiam novum thomisticæ doctrinæ oppositum fuisse omnes, ut arbitramur, facile concedent.

84 - ()